

subiratior, seque deceptum dictitans, nullo loco com-
moratus, Ticinum, pauloque post suum in regnum
rediit. 1496

At domi, ut more institutoque majorum, civibus
ædium suarum incendio damna perpeſſis publice submini-
ſtraretur, quo facilius amissa restituerent, Decemviri
legem tulerunt, ut Petri Molini filiis auri libras vigin-
ti, Hieronymo & Marino Albertis quindecim, quibus
utrisque ædes ad Cassiani & Apollinaris conflagraverant:
Andreæ Ripæ, cui suburbium in Muriano, alteras tot-
idem: Veneriis, quibus domum cum taberna mercium
Indicarum maxime celebri ad Bartholomæi ignis abſumpſe-
rat, auri libras triginta, Quinquevirum ſale procurando
magistratus daret. Neque multo poſt, onerariis navibus
duabus naufragio amiffis, Philippo Bernardo, Aloisio
Contareno, quorum illæ fuerant naves, auri libræ ſexaginta
æquis partibus, Decemvirum item lege ab eodem
magistratu ſunt curari jufſæ, ea conditione, ſi navem
alteram eorum uterque fabricandam reciperet.

Florentini ea re elati, quod Maximilianus, a quo
ſibi magnopere timuerant, infecto negotio diſceſſerat,
castella complura, quæ a Pisanis tenebantur, aggressi,
partim vi, partim ſe dedentia recuperaverunt. Legati
Veneti exercitu diſtributo, Pifanum ad Vicum, &
Cassinam & Butrium, & Librafactæ municipia ſe in hy-
berna contulerunt. Græci equites centum, ut com-
meatus inopiam ſublevarent, quod illis diebus naves
Gallicæ quatuor, Venetorum naves duas frumentarias
Pifas convehentes interceperant, hyemandi cauſa Raven-
nam profecti ſunt inſequente anno inito. aliquot etiam
eorum qui remanferant, ad hostes ob ſtipendia non fo-
luta transierunt. 1497

Quibus etiam diebus Faventia arcis præfeſto ægerrime
ferente oppidum a reipublicæ legato ita regi, ut ſibi,
quod antea confueverat, magistratus creandi, pecuniam
publicam avertendi, quidquid collibuiſſet patrandi facul-
tas non eſſet, novasque res cum ſui ſimilibus moliente,

H. Bembi.

H 3

ut

*Senatus la-
gatum Fa-
ventia re-
vocat.*